



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

B. Alberti Doctoris Magni ex Ordine Prædicatorum Episcopi Ratisponensis De Adhærendo Deo Libellvs

**Johannes <de Castello>
Albertus <Magnus>**

Antverpiae, 1621

Cap. IV. Quòd adhuc iuuenis existens habuit notitiam naturalium rerum; &
quòd vulgari vocabulo Philosophus vocabatur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44148

CAPVT IV.

*Quòd adhuc iuuenis existens habuit
notitiam naturalium rerum ; &
quòd vulgari vocabulo Philoso-
phus vocabatur.*

IN breui igitur Albertus, supra cun-
ctos suos coætaneos, tam mirabiliter
in studio, Dei cooperante gratia pro-
fecit, vt ab Ecclesiasticis personis vul-
gari vocabulo tunc Philosophus no-
minaretur. Ab ipsa enim iuuentute sua,
omnium scientiarum sæcularium api-
cem perfectè est adeptus, vt de occul-
tis in natura, quæ à magnis etiam ne-
sciuntur in Philosophia, ipsi datum sit
veritatis scientiam vlla absque delibe-
ratione proferre in medium, quemad-
modum suis verbis in Tractatu de La-
pidibus habetur, vbi ita dicit: *Volo pri-
mò narrare que vidi & expertus sum
ego ipse, & postea ostendere causam &
modum per quem à natura efficitur ima-
go. Dico igitur, quòd me existente Vene-
tiis cum essem iuuenis, ineidebantur mar-
mora*

mora per serras ad parietes templi ornandos. Contigit autem in vno marmore iam inciso, tabulis incisis sibi applicatis, apparere pictum caput pulcherrimum Regis cum corona & longa barba: neque in aliquo peccare videbatur pictura, nisi in hoc solo, quod frontem videbatur habere in medio nimis altam & ascendentem versus verticem capitis. Sciuimus autem omnes qui aderamus, hoc à natura fuisse pictum in lapide. Cum à me quæretur causa inordinationis frontis, dixi, lapidem illum ex vapore fuisse coagulatum, & in medio per calorem fortio-rem & vaporem inordinatè ascendisse ultra modum. Fuit autem pictura eiusdem coloris cum lapide. hæc Albertus. Vnde probatur, ipsum iam in iuuenili ætate naturalium sciuisse rationes. Quare autem imagines variè ita à natura depictæ inueniuntur in lapidibus pretiosis, ipse idem Albertus in iam dicto libro de Lapidibus pleniùs prosequitur: de quibus in præsentì non intendimus dicere.